

THEMIS LÆTABUNDA  
IN NUPTIIS

*Amplissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi*

VIRI

PAULI HORNIGII Fil.

J. U. D.

& PRACTICI celeberrimi:

*Et*

SUSANNÆ SCHRÖTERIÆ,

Virginis eximia ac præstantissima,

*ostensa*

à

GELLIANIS

IN ACADEMIA LIPSIENSI.

LIPSIÆ,

Literis JOHANNIS ERICI HAHNII,

ANNO M DC LXI.



**D**UM LICET GAUDERE, VIRGO, GAUDEAS,  
 SCHRÖTERIA,  
 Jam secunda Nuptialis pompa sva-  
 det gaudia,  
 Atque plausus liberales : ergo jam,  
 SCHRÖTERIA,

Mitte questus, mitte curas, quæ solent puellulæ  
 Confici, quoad futuri conjugis sunt nesciæ:  
 Quippe Sponsam Te salutant; quippe matrimonio  
 Jungeris feliciori: quippe destinatus est (ges.  
 Jam Tibi, cum quo secundos prosperè annos transi-  
 Ipsa Te movere debet temporis solemnitas,  
 Ipsa Lucis Nuptialis sva det hoc festivitas,

DUM LICET GAUDERE, VIRGO, GAUDEAS, SCHRÖTERIA.  
 Ipse Sponsus inter omnes lætus est, HORNIGIUS,  
 Et Tuam videre dextram gaudet & contingere;  
 Candidam venustulamq; mox deoscularier;  
 Splendido auro cariorem basiis perfundere,  
 Atq; gemmis clariorem dexterâ prehendere.  
 Te sibi quæsiuit unam cæteris ex omnibus,  
 Te sibi selegit unam Conjugem, SCHRÖTERIA;  
 Jamq; Sponsam Te puellæ nominant HORNIGIAM,  
 Juniores Te, senesq; nuncupant HORNIGIAM,  
 DUM LICET GAUDERE, NUPTA, GAUDEAS, HORNIGIA.  
 Fal-

Fallor? an severitatem ponderas & debitam  
 Exputas austeritatem, quæ verendo Judici,  
 Legibus Themistos almæ consecrato, convenit?  
 Forfan hæc consideranda credis accuratius;  
 Atq; Sponsum frontis esse tristioris autumas,  
 Acriorem, duriolem, planè inexorabilem?  
 Hisce, credo, tam molestis cogitationibus  
 Impediri Te, Tuumq; Nuptiale gaudium.  
 Sed faceffat cura talis! Est imaginatio.

DUM LICET GAUDERE, NUPTA, GAUDEAS, HORNIGIA.  
 Esto: fit severitati singulari deditus,  
 Attamen non universis; sed modò adversariis  
 Est severus: at Clienti mitis atq; humanus est.  
 Jam Tuus cùm sit Patronus, & patrocinabitur:  
 Actitabit ipse causas, ipse Te tuebitur.  
 Si quis ergo Sycophantes adstet actionibus  
 Singulis, & ad tribunal deferat Te Cypridos,  
 Ne pavefcas, en! Patronus, Advocatus, en! Tuus  
 Sponsus est, qui Te Clientem derelinquet nullibi

DUM LICET GAUDERE, NUPTA, GAUDEAS, HORNIGIA  
 Quid moraris? ecce Sponsus aspicit Te sæpiùs,  
 Atq; lusùs mille spondet, mille spondet gaudia,  
 Mille svaviationes, atq; morfiunculas,  
 Mille basiationes, atqve presfiunculas,  
 Et tot osculationes, atq; tot susurrulos,  
 Mille recreationes atq; tot lubentias,  
 Mille delectationes, atq; tot licentias,

Atc

Atq; tot refectiões, atqve tot cachinnulos,  
Bellulas amationes, blandulas facetias.

DUM LICET GAUDERE, NUPTA, GAUDEAS, HORNIGIA,  
Ecce! lux recesfit, alas nox nigrantes explicat,  
Ipsa Noctiluca svavem Diva svadet somnulum:  
Ipse Sponsus conjugalem jam petivit lectulum.  
Qvid moraris ergo, Nupta? qvid moraris longius?  
Scande lectum, Te modestè Sponsus amplexabitur,  
Cinget mollibus lacertis, ac deosculabitur.  
Qvanta Vobis tùm jocorum risuumq; copia!  
Sic amate, sic jacete, mutuoq; ludite,  
Plurimos ut largiatur liberos Polytecnia.

JAM LICET GAUDERE, NUPTA, GAUDEAS, HORNIGIA!

F I N I S.



THEMIS LA

IN N

*Amplissimi, Consultis*

PAULI HO

J. U

& PRACTIC

SUSANNÆ S

Virginis eximia

GELL  
IN ACADEM

LIP

Literis JOHANNIS

ANNO M

Fil.

RIÆ,



11.

